

terna praedicatione Evangelica doctrina, nunc domi, nunc in Synagoga, nunc in solitudine, docendj labo- rem urgens, sine intermissione. Nimirum quia DEVS pater hoc unicam medium (nempe externum ministerium) ordinavit, per quod Spiritus Sanctus est efficax ad inchoandam in cordibus credentium Spiritualem iusticiam et vitam. Sicut Romanis scribit Apostolus. Non pudet (inquit) me predicare vobis Christum, est enim potens quoddam organum DEI, ad salutem cuius credentis. Cum autem DEVS aeternus velit in Ecclesia externum ministerium hoc esse publicas conciones Evangelij, & publicum usum sacramentorum cum exercitijs spiritualibus coniunctum esse, resistunt Spiritui Sancto qui obtenta spiritualis exercitij, congressu publicos contemnunt in quibz DEI verbum integre incorrupteq; annunciat, homo enim non potest sine scelere disjungere quae immutabili mandato DEVS coniunxit. Sed quorsum haec? non quod tibi monitor sit opus, sed ut cogites si velis stare in Domino, (ut debes) & suscipienda tibi esse cum malo gemitu difficilia certamina & non temere cuius Spiritui credendum. Vale. Nonis Septembris. 1.5.66.

Salutem alicui veneranda matris & eius
liberis quam poter officiosissime.

Duisburgi.

Te amant constanter

Johannes Mosanus.

Post. 2. Medio. Paris. Clunia Pax Christi.
Medio G. Medovpji.

V + primum arte & diligentia tua recreari coepi Doctor eximie magnas continuo gratias egi DEO vitae meae custodj, quod mihi Brema a contagione servato, etiam peregre laboranti tam oportuna tua humanitatis industria succurrisset. Accersuisse enim ad me Doctorem Lichodium visus est, non quod leuaret mea valetudinis molestias, sed prorsus abstergeret. Quam autem gratiarum actionem tuae fidei debeo, eam constitueram totam reddere profectus isthuc cum dilecto Socero ubi me paulo firmius corroborassem. Interca datis affmij meo Arnoldo literis ad discipulum Illermum Rockelfingerum, non dubitabam quin de mea valetudine certior fieres. At nunc ultio Epistola T. H. prouocatus, mihi subirasor, ut qui videat meo numerj defuisse. Gratia enim officio quod mora tardat abest. Sed quid hic peccarim et in qua poena mulcandus sum inter minuta pocula statuetur, cum isthuc venero. Detrahi enim ego et Socer (DEO volente) Coloniam proficiscj, ad meratum nouorum librorum, simulatq; a nundinis Francfordiam reuersos bibliopolas intelligemj, in eo itinere fruamur vestra consuetudine, et iutam inter nos amicitiam confirmabimj hoc potissimum nomine quod inter hac laboris vitae praesentis quam utamq; prorogat ars vestra, communem habemj expectationem beatae & p. omnis vitae. Haec sane vel una satis vehementer mihi videtur causa esse, cur omnes electi qui diligunt Dn. Jesum Christum, ex animo sincero ardentissime inter se amare debeant, & summa beneuolentia se mutuo complectj. Equidem non minore animi studio nunc prosequor mortuos, D. Monhemium, & D. Rockelfingerum communes mihi tecum amicos, quam antea colij viuos, non enim dubito, quin ubi me quoq; Dominus ad immortalitatem euocauerit, cum illis clarissimis viris in coetu sanctorum habiturj spem dulcissimam consuetudinem, quae nunquam finietur. Ad illam enim longe praestantior: primam vitam, DEVS per filium suum in Evangelio nos regemus, & Anthonem illis vitae nempe Spiritum adoptionis in animos nostros effudit. Interca tu et ego qui illis amici nostris & D. Cassandro superstites sumus, demj operam ut tam hic viuentes quam cum emigrabimj ad Dominum, ipsi accepti esse possimus non immemores eorum tribunalj Christi reddendam nobis esse nostrae peregrinationis rationem. Sed haec vereor ut intempestiua videantur. Vale. 5 Idj Sept. 1.5.66. Duisburgi.

T. D. Studiosiss.

Johannes Mosanus.

Na. 155)

[= hser. a. 12]

N. 15]